



PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XLII • N. 2

2010

**SPECIALIS COMMISSIO PONTIFICA
COETUS STUDII « DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA »**

**Sessio III^a
(diebus 5-7 februarii 1973 habita)¹**

Diebus 5-7 mensis februarii 1973, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus ad redigendas normas de procedura administrativa.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mus Aurelius Sabattani; Rev.mi Raimundus Bidagor, Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Aemilius Eid, Arcangelus Ranaudo, Henricus Straub, Paulus Wirth, Paulus Wesemann, Robertus Kennedy, Adam Maida, Guillelmus O'Connell et IILmus Pius Ciprotti.

Primae, secundae et sextae adunationibus praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Bidagor.

III.mus Ciprotti functus est munere Relatoris; Rev.mus Franciscus Voto functus est munere actuarii.

Finis et ratio huius Sessionis erat schema canonum, iam in praecedenti Sessione apparatum, adhuc perpolire, attentis suggestionibus circa idem schema factis. Schema, enim, mense aprilii 1972, pro voto missum erat ad Cardinales huius Pontificiae Commissionis sodales, ad Romanae Curiae Dicasteria et ad Conferentias Episcoporum.

Supra vota, quae post hanc consultationem pervenerunt, Relator relationem apparavit, in qua omnes suggestiones systematice distributae sunt, secundum ordinem canonum, ita ut apta basis pro laboribus huius Sessionis habita sit.

**Adunatio I^a
die 5 februarii 1973 mane habita**

Post salutationem Praesidis omnibus Consultoribus factam, Relator proponit ut examinentur quaedam generales animadversiones de schematis forma et substantia.

1) Schema canonum de procedura administrativa carpitur a nonnullis de locutionibus nimis technicis, quae tantummodo a iuris peritis intelligi possint; ab aliis generalius dicitur saepe locutiones in schemate adhibitas esse nimis obscuras.

¹ Si tratta della I Sessione della Series Altera, cioè avvenuta dopo la consultazione sullo schema stampato. In questo caso è stata data a questa Sessione la numerazione continua (Sessio III).

Relator admittit formam canonum adhuc perpoliri posse ad locutiones nimis technicas vel obscuras tollendas, ne tamen requiratur ut sermo iuridicus seponatur vel enervetur ita ut lex suam propriam indolem amittat.

Praeses et Consultores concordant cum Relatore.

2) Est qui censeat inutiles esse cann. 1-3 et 4 § 1 nostri schematis.

Consultores unanimiter respondent illos canones esse retinendos, quia continent normas quasdam generales, sine quibus difficulter introduci potest lex de procedura administrativa, quae est tam nova in nostro iure.

3) Nonnullis magis placeret ut actio coram tribunalibus ordinariis proponi possit si laesio iuris ex actu administrativo adsit.

Consultores unanimiter censem in his quoque casibus actionem propoundam esse coram tribunalii administrativo ob varias rationes inter quas sequentes eminent:

– in illis causis ob laesionem iuris ex actu administrativo semper in discrimen venit ratio boni publici (Rev.mus primus Consultor);

– si admitteretur actio coram tribunalibus ordinariis, lites multiplicarentur et difficultates in gubernio augerentur (Rev.mus secundus Consultor);

– ob independentiam et autonomiam tribunalis administrativi, quod saepe saepius erit extra dioecesim (Rev.mus tertius Consultor);

– ut fiducia detur iurisdictioni administrativa, quae est vera et propria iurisdictionis, etsi habeat suas proprias normas (Rev.mus quartus Consultor).

4) Sunt qui ipsam compatibilitatem tribunalium administrativorum cum Ecclesiae indole in dubio vocent, vel saltem dubitent num possit auctoritas episcoporum ita limitari ut submittatur tribunalibus administrativis, quae non sint neque Concilium Oecumenicum neque Summus Pontifex.

Iuxta hanc sententiam, dicit Praeses, episcopus citari posset tantum apud suum tribunal ordinarium, seclusis etiam appellationibus ad tribunal superius. Quod quidem admitti nequit. Nemo negat reverentiam deberi episcopis, attamen non usque ad aliorum iurium laesionem. Ceterum nemo iudex in causa propria.

Rev.mus primus Consultor affert can. 1572 § 2 vi cuius causae quaedam, in quibus pars sit episcopus, deferri possunt ad tribunal dioecesanum, attamen id evenire potest ex potestate recepta a iure pontificio.

Rev.mus quintus Consultor censet animadversionem factam, de impossibilitate submittendi auctoritatem episcoporum iudicio tribunalis administrativi, quoddam fundamentum habere ex eo quod iudicium tribunalis respicere debet ipsum gubernium episcopi, quod exprimitur per actus administrativos.

Haec consideratio prae oculis habenda est ita ut aliqua cautela habeatur in modo agendi contra episcopum.

Relator respondet illam considerationem prae oculis habendam esse in can. 17, ubi sermo est de motivis recursus ad tribunal administrativum.

Rev.mus sextus Consultor conqueritur de habitu quodam mentis, quem habent nonnulli episcopi ut censeant se a nullo iudicari debere.

Rev.mus Secretarius notat per hanc legem instaurari tutelam iurium in Ecclesia omnino novam et ideo sperandum est ut simul habitus quoque mentis conformentur pedetemptim novae legi.

Hac discussione habita, omnes Consultores concordant nullam esse difficultatem doctrinalem contra instaurationem novae disciplinae in Ecclesia.

5) Sunt qui videantur optare ut ratio aliqua detur episcopis ut possint se defendere etiam adversus Summi Pontificis decisionem.

Praeses animadvertisit quod, si agatur de decisionibus datis ab organis Sanctae Sedis, defensio adversus ipsas potest dari et de facto praevideatur in nostro schemate; at si agatur de decisionibus quas ipse Summus Pontifex specifiche dat, nulla defensio admitti potest apud ullum tribunal.

Relator quaerit utrum huiusmodi defensio concedi possit saltem in casibus in quibus decisio Summi Pontificis nitatur falsis precibus (can. 42) et iura aliorum laedat.

Praeses respondet ne quidem in his casibus esse opportunum ut detur Episcopis facultas sese defendendi apud tribunal aliquod adversus Summi Pontificis decisionem, quia hic modus agendi ansam dare posset multis arbitriis. Melior videtur praxis recurrendi in his casibus ad ipsum Summum Pontificem.

6) De opportunitate tribunalium administrativorum dubia proposita sunt, praesertim propter timorem ne actio pastoralis impediatur nimiis oppositionibus et contentionibus, sed etiam propter difficultatem ea constituendi in multis locis, et propter indolem potius paternam et pastoralem, quam iuridicam, quam solent in permultis regionibus habere relationes inter auctoritatem administrativam et subditos.

Ut limitentur effectus futurae legis in libertatem actionis pastoralis, sunt qui suggestunt ut dicatur solos actus administrativos «iurisdictionales» affici nova lege.

Consultores consciit sunt de difficultatibus applicandi novam legem in aliquibus regionibus, attamen, attenta maioritate eorum qui novam legem invocant necnon necessitate habendi aptiorem tutelam personarum sive physicarum sive moralium, censem non nimis immorandum esse in his anxietatibus et querimoniis contra novam legem. De suggestione autem afficiendi nova lege solos actus administrativos «iurisdictionales» ratio habebitur suo loco, id est in can. 1.

Adunatio II^a
die 5 februarii 1973 vespere habita

7) De circumscriptione tribunalibus administrativis tribuenda, examinantur propositiones quae in variam rationem propositae sunt:

a) suggestum est ut, ubi opportūnum sit et possibile, unaquaeque dioecesis habeat suum tribunal administrativum auctoritate Episcopi constitutum, sine interventu Conferentiae episcopalnis.

Ratio huius suggestionis, dicit Rev.mus septimus Consultor, est quia nonnulli Episcopi aliter sentiunt ac ceteri Episcopi Conferentiae episcopalnis et nolunt amittere suum ius in re tam gravi.

Relator dicit in schemate non vetari ut habeatur tribunal administrativum in unaquaque dioecesi, dummodo id deliberatum sit in Conferentia episcopalii; quod autem haec possilitas pendeat a decisione Conferentiae episcopalii, videtur esse opportunum ratione uniformitatis assequendae in ambitu eiusdem regionis.

Perplures Consultores concordant cum Relatore, attamen Rev.mi septimus et octavus Consultores petunt ut singuli Episcopi constituere possint tribunal administrativum saltem pro actibus ab inferiore auctoritate latis.

His dictis de sequentibus propositionibus fit suffragium:

– placeatne ut in singulis dioecesibus Episcopus, etiam citra auctoritatem Conferentiae episcopalnis, constituere possit tribunal administrativum dioecesanum pro actibus ab inferioribus auctoritatibus latis: placet omnibus;

– placeatne ut in singulis dioecesibus Episcopus, etiam citra auctoritatem Conferentiae episcopalnis, constituere possit tribunal administrativum dioecesanum *pro actibus ab ipso Episcopo latis*: placet n. 3 (Rev.mi septimus et octavus Consultores et Secretarius); non placet n. 9.

Relator quaerit num conveniat aliquo modo explere vota eorum qui dixerunt placet, tribuendo Conferentiis episcopalibus facultatem dandi tribunalibus administrativis dioecesanis ius videndi etiam acta ab ipso Episcopo lata.

Rev.mus tertius Consultor respondet id minime approbari posse, quia Episcopus esset iudex in causa propria; ceterum etiamsi munus iudicis committatur aliis, semper tamen dubitari posset an iudices revera sint liberi in munere suo exercendo.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo tertio Consultore.

* * *

Quaeritur praeterea quodnam sit tribunal primae instantiae pro actibus ab inferioribus auctoritatibus latis, quando dioecesis careat tribunali dioecesano administrative.

Plures Consultores tenant in his casibus causam deferendam esse hierarchice ad Episcopum antequam transire possit ad tribunal administrativum (Rev.mi sextus, tertius, octavus et septimus Consultores).

Suffragatur placeatne haec propositio: omnes respondent affirmative.

* * *

Quaeritur insuper quodnam sit tribunal appellationis a tribunali dioecesano pro actibus ab inferioribus auctoritatibus latis.

Consultores concordant appellationem deferendam esse ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae vel ad tribunal appellationis quod forte constitutum sit a Conferentia episcopali.

b) Suggestum est ab aliquibus Conferentiis episcopalibus ut munus tribunalis administrativi detur potius alicui tribunali ordinario.

Consultores unanimiter censem id fieri posse, dummodo in tribunali ordinario constituatur sectio altera pro causis administrativis.

c) Suggestum est ut ad tribunal administrativum recurri non possit, nisi recursus hieraticus vetetur aut nisi iam via recursus hieratici tota peracta sit.

Consultores unanimiter hanc suggestionem respununt.

d) Non deest qui velit excludere ut possit deferri ad tribunal administrativum causa, quae definitive soluta iam sit per recursum ad superiorem hieraticum.

Propositio haec nemini placet.

8) Sunt qui propugnant ut nova lex etiam pro ecclesiis orientalibus valeat.

Praeses respondet munus huic Commissioni commissum tantum Ecclesiam latinam respicere.

9) Sunt qui loco legis universalis suadeant ut detur Instructio ad Conferentias episcopales, ut unaquaeque inveniat vias magis aptas ad problemata eiusmodi solvenda. Similiter nonnulli, propter speciales difficultates regionum missionalium, optant ut amplientur facultates Conferentiarum episcopalium.

Consultores censem finem a nova lege intentum obtineri non posse nisi per legem universalem pro tota Ecclesia.

Adunatio III^a
die 6 februarii 1973 mane habita

Examinantur animadversiones praecipuae ad singulas schematis normas factae.

Canon 1

«Quae hac lege de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad rescripta, praecepta, dispensationes, licentias, et generatim ad omnes administrativos actus, qui singulis personis vel communitatibus extra iudicium dantur, iis exceptis, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico ferantur».

a) Nonnulli opinantur non satis perspicue ex hoc canone percipi quae-nam sint acta, quibus nova lex applicatur.

Relator censem locutionem generalem «ad omnes administrativos actus», in canone adhibitam, esse necessariam ad indicandos omnes alios actus qui non sint rescripta, vel praecepta, vel dispensationes, vel licentias. Haec locu-tio, quamvis nimis generica appareat, retineri debet, nisi locutio melior inveniatur. Proponitur ab aliquo ut illi actus melius qualificantur per verbum «iurisdictionales», sed haec qualificatio non caret difficultatibus, quia ingene-rari possent interpretationes aequivocae.

Rev.mus primus Consultor censem maiorem claritatem consequi posse, si dicatur «omnes actus promanantes ex potestate regiminis quae non sit legisla-tiva vel iudicaria».

Rev.mo quinto Consultori non placet locutio «actus iurisdictionales», quia etiam simplices monitiones vel hortationes feruntur ab illo qui habet potestatem iurisdictionalem et tamen tales actus non cadunt sub nostra lege. Placeret potius ut diceretur «omnes actus administrativi qui in ordine iuris Ecclesiae singulis personis extra iudicium dantur».

Circa suggestionem Rev.mi quinti Consultoris habentur difficultates Relatoris, qui notat etiam actiones pastorales fieri in ordine iuris et Rev.mi primi Consulto-ri, qui censem omnes actus potestatis episcopalis habere indolem pastoralem. Praeterea Rev.mus quartus Consultor notat per novam legem administrativam protegi quaedam quoque iura vel «interesse» quae non sunt in lege positiva.

Rev.mus tertius Consultor censem novam legem applicari posse omnibus actibus qui feruntur extra iudicium in ambitu relationum iurisdictionalium inter superiore et subditos.

Rev.mus septimus Consultor censem locutionem actus administrativos ser-vari posse prout est in canone, quia maior claritas habebitur ex iurisprudentia et doctrina.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut formula canonis ita corrigatur: «... et generatim ad omnes administrativos actus, qui singulis vel communita-tibus *in exercitio regiminis* extra iudicium dantur ...».

Propositio Rev.mi sexti Consultoris omnibus Consultoribus placet.

b) Peculiare dubium a quibusdam proponitur, num decreta lata a Summi Pontificis vel Oecumenici Concilii delegato a can. 1 excludantur.

Consultores volunt ut etiam his decretis applicetur nova lex.

c) Aliud dubium proponitur a Rev.mo nono Consultore, cui non clare patet quomodo impugnari possint apud tribunal dispensationes vel licentiae, quae sunt actus iurisdictionis voluntariae, quorumque denegatio vel concessio nullam violationem legis secumferre potest.

Relator respondet motiva recursus haberi non solum ex violatione legis substantialis sed etiam ex violatione normarum procedurae, nec solum ex violatione legis positivae, sed etiam ex violatione aequitatis canonicae, et praeterea attendenda sunt etiam iura aliorum quae, per dispensationem vel licentiam alicui datam, laedi possunt.

Canon 2

« Hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad leges, ordinaciones, instructiones, decreta generalia, aliasque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos. Eorum autem praescripta, quae legi vel ordinationi superioris auctoritatis adversari iudicet, iudex applicare non potest; quod si in quolibet iudicii gradu et stadio constet quaestionem de praescripti invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo Superiore ecclesiastico esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiore faciens eiusque responsum exspectans ».

Circa can. 2 sequentes animadversiones factae sunt:

a) quidam dubitant de huius canonis perspicuitate.

b) Nonnulli censent tribunal semper debere iudicium libere ferre, etiamsi quaestio de legis vel ordinationis invaliditate iam sit ad Apostolicam Sedem delata; vel ut mutatio legis inferioris ab eius auctore obtineatur.

c) Alii censent saltem alteram canonis partem supprimendam esse, cum de iis legibus vel ordinationibus normas ferre non pertineat ad hanc novam legem.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo quarto Consultore, censent suggestionem, sub c) positam, esse bene fundatam et ideo concordant ut altera pars canonis supprimatur.

De prima parte autem canonis proponitur a Rev.mis septimo et octavo Consultoribus ut ponatur tamquam § 2 canonis 1.

Propositio Rev.morum septimi et octavi Consultorum omnibus placet.

Canon 3

« Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi et ad iudicium et advocatorum qualitates, lex particularis,

etiam a Conferentia episcopali vel ab Episcopo lata, alias normas, ad liceitatem servandas addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent ».

Circa can. 3 sequentes animadversiones habentur:

a) Nonnulli petunt ut sola lex universalis fiat circa proceduram administrativam et non admittantur leges particulares sive Conferentiae episcopalies sive Episcopi dioecesanis.

Consultores unanimiter respnuunt hanc propositionem.

b) Petitur ut per hanc legem censeantur suppressi omnes canones vigentis Codicis, qui de singulis negotiorum generibus normas dant, iuxta principium de lege posteriori priorem abroganti. Proinde proponitur suppressio primi commatis can. 3.

Relator, cui omnes Consultores consentiunt, respondet id non esse opportunum, quia singula genera negotiorum exigunt peculiares normas, de quibus ratio haberi non potest in nostro schemate; postea videbit legislator quosnam canones debeat pedetemptim abrogare, ita ut disciplinam specialem ad generales huius legis normas conformet.

c) Nonnullis placet ut lex particularis a solis Conferentiis episcopalibus ferri possit.

Relator favet huic suggestioni, quia in re processuali desideratur ut leges, quantum fieri possit, uniformes sint ad vitandam incertitudinem iudiciorum in gradu appellationis, praesertim quando appellatio fit ad Signaturam Apostolicam.

Rev.mi sextus, primus, secundus, quartus, tertius, nonus et decimus Consultores concordant cum Relatore.

Vero Rev.mis quinto, undecimo, septimo et octavo Consultoribus placet ut etiam Episcopi ferre possint leges particulares, *audita tamen Conferentia episcopalii* ita ut illae tantum difformitates introducantur quae sint vere necessariae.

His dictis sequentes suffragationes habentur:

– placeatne quod Episcopus possit normas dare de procedura apud suum tribunal administrativum: placet n. 5; non placet n. 7;

– placeatne ut Episcopus possit legem ferre de qualitatibus iudicium et advocatorum etc. sui tribunalis administrativi sine Consilio Conferentiae episcopalis: placet n. 3; non placet n. 9;

– num Episcopus legem ferre possit de procedura apud suum tribunal administrativum cum approbatione Conferentiae episcopalies: placet n. 6; non placet n. 6;

– placeatne ut Episcopus legem ferre possit de qualitatibus iudicium et advocatorum etc. sui tribunalis administrativi, cum approbatione Conferentiae episcopalis: placet n. 6; non placet n. 6;

– placeatne ut Episcopus legem ferre possit de ratione procedendi in decretis ab inferioribus ferendis, sine approbatione Conferentiae episcopalium: placet n. 9; non placet n. 3;

– placeatne ut Episcopus possit legem ferre de ratione procedendi in decretis a se ipso ferendis, sine approbatione Conferentiae episcopalium: placet n. 4; non placet n. 8.

d) Suggestum est ut lex particularis alias normas addere possit non tantum ad licitatem, sed etiam ad validitatem servandas.

Suffragatio huius propositionis habebitur quando examinabitur can. 25.

Omnis Consultores tamen sunt concordes circa facultatem recurrendi contra violationem legis particularis, quamvis haec sit ad licitatem tantum.

Adunatio IV^a
die 6 februarii 1973 vespero habita

II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIO FERENDIS

Canon 4

«§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat, quorum iura laedi possunt; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum et peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrentis semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat ut interrogetur».

Circa can. 4 sequentes animadversiones factae sunt:

a) Proponitur ut detur norma generalis de potestate decreta ferendi.

Relator censet hanc normam generalem dari non posse, quia pro singulis negotiorum generibus statuenda est peculiaris norma circa potestatem decreta ferendi circa illa negotia.

Omnis Consultores concordant cum Relatore.

b) Proponitur ut definiatur quaenam res debeat vel possint administrativo tramite expediri.

Relator censet non pertinere ad hanc novam legem talem quaestionem definire.

Omnis Consultores concordant cum Relatore.

c) Nonnulli optant ut auctoritates administrativae antea generali modo proclament quaenam principia ipsae secuturae sint in usu suae potestatis discretionalis.

Relator censet maioritatem Consultorum iam indirecte respuisse hanc propositionem quando negative responderunt dubio an Episcopus possit legem ferre de ratione procedendi in decretis a se ipso ferendis, sine approbatione Conferentiae episcopalis.

Praeterea Rev.mus sextus Consultor censet usum potestatis administrativae pendere a concretis circumstantiis et ideo absonum esse ut quis Episcopus in antecessum iam determinet quaenam criteria ipse secuturus sit in illis concretis circumstantiis.

Rev.mus octavus Consultor petit ut fiat saltem norma quae hortetur Episcopos ut, quantum fieri possit, sequantur principia, quae forte antea generali modo proclamaverint tanquam criteria sui modi agendi.

Rev.mus Secretarius meminit hanc quaestionem iam late discussam esse in Sessione praecedenti et fere omnes Consultores suum votum negativum dedisse.

*d) Quidam censent locutiones hoc canone adhibitas esse nimis « elasticas », ita ut privatis hominibus non praestent satis adaequatam certitudinem et securitatem iuridicam, et nimia relinquunt superioris arbitrio, praesertim quod attinet ad possibilitatem reticendi probationes. Sunt qui propterea, quod attinet ad secretum de probationibus, suggestur ut norma adhibeat similis articulo 130 Instr. *Provida Mater* diei 15 augusti 1936, id est ut probationes ostendantur patrono sub secreto; quod autem attinet ad facultatem constituendi patronum (§ 1), suggestur ut id non subordinetur celeritati servandae.*

Relator proponit ut canon servetur prout est, salvo ultimo commate § 1, scilicet quoad verba « et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum et peritum constituendi ». Haec verba mutari debent ut dicatur dari posse facultatem constituendi patronum et peritum, dum ne id damnum pariat; celeritas autem commendari debet in quantum utilis et possibilis.

Consultores omnes concordant cum Relatore et ipsi committunt ut ultimum comma § 1 corrigat juxta mentem modo expressam.

e) Quidam vellent constitutionem patroni, si recurrens patrono careat, semper fieri ex officio et non relinquenter superioris iudicio; alii vellent numquam esse necessarium patronum, ne coram tribunalibus administrativis quidem.

Consultores unanimiter censem canonem 4 non esse mutandum quoad normam de constitutione patroni.

Canon 5

«§ 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor recurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superiorem pervenit, petitio vel recursus pro rejecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint tamquam si eo die per decretum prolatata sit.

§ 2. Lex particularis, de qua in can. 3, potest de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores».

Circa can. 5 nonnulli censem abolendam esse § 2.

Quidam, vero, nonostante § 2, censem terminos in § 1 statutos esse nimis longos. Alii, contra, censem praevidentes esse casus, in quibus, cum terminus satis non sit, superior possit aliquam interlocutoriam decisionem dare.

Consultores vero unanimiter censem can. 5 servandum esse prout est.

Canon 6

§ 1. Qui decretum fert, id pae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, erit ostendendum».

Circa § 1 huius canonis est qui illam inutilem censeat et ideo supprimendam. Aliquis vero proponit ut supprimatur locutio «bonum publicum», quia est parum definita et ideo periculosa.

Consultores unanimiter censem § 1 esse servandam.

Quod attinet ad § 2 sequentes animadversiones habentur:

a) Nonnullis visum est nimium requiri ut fere semper motiva in decreto exprimantur; aliis autem periculosum visum est admitti ut, si gravissima ratio obstet, motiva reticeantur.

Quidam vero proposuerunt ut, si gravissima ratio obstet ne motiva patefiant, saltem *quaedam* argumenta, in quibus decisio fundatur, ostendantur.

Relator proponit ut, praetermissis prima et altera suggestione, consideratio habeatur de tertia, quae de sua sententia accipienda videtur.

Consultores omnes, excepto Rev.mo quarto Consultore, concordant cum Relatore.

b) Nonnullis periculoso videtur quod, etiam ubi motiva reticeantur, debeant postea iudici exprimi.

Ad hoc periculum vitandum Relator proponit ut motiva, quae in decreto reticeantur, ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, *sub secreto* sint ostendenda.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut motiva ostendantur *sub secreto* etiam patrono.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut sane supprimatur altera pars § 2 et retineantur tantum verba: «Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis».

Suffragatur placeatne supprimere alteram partem § 2: placet n. 7; non placet n. 5.

Suffragatur placeatne retinere § 2 his verbis: «Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis»: placet n. 9; placet iuxta modum n. 3.

Modi: 1) addantur verba: «nisi obstent graviores rationes» (Rev.mus quintus Consultor): placet n. 1; non placet n. 10; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

2) dicatur: «... expressis saltem summarie, ubi casus ferat, motivis» (Rev.mus decimus Consultor): placet n. 1; non placet n. 10; se abstinet a sententia ferenda n. 1;

3) addantur verba: «nisi ex natura rei sint superflua» (Rev.mus tertius Consultor): placet n. 3; non placet n. 8; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Relator proponit ut addatur haec norma: «Lex particulars Conferentiae episcopalis potest statuere ut nonnulla decreta, in quibus motiva exprimere superfluum sit, possint sine motivis expressis ferri».

Placet n. 5; non placet n. 3; placet iuxta modum n. 2; se abstinent a sententia ferenda n. 2.

Modi: 1) compleatur norma his verbis: «..., imposta tamen obligatione tradendi motiva superiori vel iudici in casu recursus» (Rev.mus sextus Consultor): placet n. 8; non placet n. 4;

2) dicatur: «ut in quibusdam decretis loco ut nonnulla decreta» (Rev.mus undecimus Consultor).

Cum hic modus sit tantum de forma verborum, committitur Relatori ut, pro sua prudentia, illum consideret.

Canon 7

«§ 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter

scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur».

Circa § 1 sunt qui opinentur periculorum esse admittere ut propter gravissima motiva omittatur traditio decreti, ideoque suadent ut altera pars § 1 omittatur, vel ut saltem patrono decretum tradatur sub secreto.

Consultores vero concordant ut § 1 non supprimatur neque substantialiter mutetur.

Praeterea est qui suadeat ut duobus testibus aequiparetur notarius ecclesiasticus. Ideoque Relator, hanc suggestionem accipiens, quaerit placeatne ita formulam mutare: «... potest superior iubere ut decretum ei coram notario ecclesiastico vel coram duobus testibus legatur...».

Propositio Relatoris omnibus placet.

Circa normam § 2 est qui suadeat ut vocatio iterum fiat, si vocatus semel non comparuerit.

Suffragatur placeatne haec propositio: placet n. 1; non placet n. 11.

II. DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA

1. *Normae communes*

Canon 8

«§ 1. Adversus decreta extra iudicium lata non datur actio judicialis coram tribunalibus ordinariis, etiamsi quis contendat decreto ius suum esse laesum et damna esse reparanda; dantur autem, ad normam canonum qui sequuntur, recursus ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, et recursus ad tribunalia administrativa.

§ 2. Hac lege nihil mutatur de iure vigenti, quod attinet ad recursus adversus decreta, quae a superioribus vel capitulis in religionibus, in societatibus de quibus in cann. 673-681 Codicis Iuris Canonici, in institutis saecularibus ferantur, si quidem de consociationibus iuris pontificii agatur; ideoque normae huius tituli ad ea decreta minime applicantur. De his caveatur in iure particulari singulorum Institutorum perfectionis».

Multi mallent ut normae de recursibus ad ea quoque decreta applicantur, quae a superioribus religiosis feruntur, vel saltem ad nonnulla eiusmodi decreta.

Aliqui dicunt expedire ut Conferentiae Nationales Institutorum perfectio-
nis possint tribunalia constituere, quae recipient recursus adversus decreta a
superioribus maioribus vel a capitolis provincialibus lata.

Contra autem Sacra Congregatio de Religiosis et Institutis perfectionis
censet non solum, ut est in schemate, instituta iuris pontificii, sed etiam insti-
tuta iuris dioecesani excludenda esse a novae legis normis de recursibus.

Post aliquam discussionem, Consultores censem potius attendendam esse
suggestionem Sacrae Congregationis, quia materia recursuum administrativo-
rum religiosorum melius ordinari potest in ipsis Constitutionibus religiosorum.

Circa hanc materiam sequentes suffragationes habentur:

- utrum a nova lege excludenda sint etiam instituta perfectionis iuris
dioecesani: placet omnibus;
- utrum excludenda sint etiam instituta iuris dioecesani si agatur de
impugnando decreto Episcopi, quo recursus ipsius Instituti dioecesani decidi-
tur: placet n. 10; non placet n. 2;
- utrum tota materia de Institutis perfectionis excludi debeat a tota lege:
placet n. 9; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Adunatio V^a
die 7 februarii 1973 mane habita

Canon 9

«§ 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non
fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solu-
tione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel
consilium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel
per aequam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur
vel dirimatur.

§ 2. Quod si adversus decretum recursus propositus sit, superior vel
iudex, qui de recurso videt, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quan-
documque spem boni exitus perspicit, ad eiusmodi solutiones quaerendas».

Nonnulli suadent ut de aequa solutione extra contentiones quaerenda
magis instet ut urgeat legislator.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut mediatio voluntaria tanquam
institutum stabile constituatur utque iudicium per arbitros tanquam prima
instantia habeatur.

Rev.mus nonus Consultor censet compromissum per arbitros nullo modo
haberi posse tanquam primam instantiam, quia iustitia administrativa habet

suas peculiares regulas agendi. Pertinet ad munus iudicis aequam solutionem consulere antequam ad contentiones deveniatur et textus can. 9 servari potest prout est.

Rev.mus sextus Consultor timet ne per aliquod novum institutum conciliationis processus administrativus nimis machinosus evadat.

Relator proponit ut redigatur paragraphus nova qua detur Conferentiis episcopalibus facultas statuendi ut in singulis dioecesisbus constituatur organum stabile conciliationis ad solutionem quaerendam et sugerendam intra terminos de quibus in can. 10 § 2.

Suffragatur placeatne propositio Relatoris: placet n. 10; placet iuxta modum n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Modus: recursus ad hoc organum conciliationis ne sit obligatorius.

Rev.mus tertius Consultor quaerit num acta huius instantiae conciliationis deferri debeant ad tribunal primae instantiae, quando fit recursus ad tribunal.

Relator censet non esse statuendum in lege ut illa acta deferantur ad tribunal primae instantiae. Id facere possunt ipsae partes, si censem illa acta esse utilia ad instructionem causae.

Canon 10

«§ 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere; qua petitione proposita, etiam suspensio execusionis eo ipso perita intelligitur.

§ 2. Petitio debet fieri intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 7 intimato, nisi lex particularis, de qua in can. 3, longiorem terminum statuat.

§ 3. Termini ad recurrentum adversus decretum decurrere incipiunt ex tricesimo die, ex quo petitio de qua in § 1 ad decreti auctorem pervenit, nisi antea ipse terminorum initium, non ultra tres alios menses, scripto differat neque ullo modo decretum interim exsequatur.

§ 4. Quod si, antequam terminus ad recurrentum decurrere incipiat ad normam § 3, decreti auctor decretum emendet vel petitionem reiciendam esse decernat, termini ad recurrentum decurrunt ex novi decreti intimatione.

§ 5. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo recursus hierarchicus deciditur, vel quo praecedens decretum ad normam § 4 emendatur vel confirmatur».

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

– Nonnulli optant ut petitio de qua in § 1 debeat motivis expressis esse praedita.

Quod petitio debeat esse praedita motivis Relator censem patere ex natura rei, attamen de hac re non est faciendum praeceptum in lege, ne habeatur invalida petitio, quae motivis non sit praedita.

Proponitur ut § 1 ita compleatur: «... quae petitione proposita, etiam suspensio exsecutionis eo ipso petita intelligitur, nisi *Conferentia episcopalis aliter decidat*».

Haec propositio non placet Consultoribus.

Nonnullis non videtur opportuna possilitas prorogandi terminum (§ 3), quamvis haec propositio subordinetur omissae exsecutioni; quodsi admitti omnino debeat possilitas prorogandi, prorogatio non ultra alias triginta dies sit.

Suffragatur placeatne restringere possilitatem prorogationis ad duos menses: placet n. 1; non placet n. 11.

Quoad omnes alias terminos in hoc canone statutos, Consultoribus placet ut non fiant mutationes.

Praeterea Consultoribus placet ut recursus deferri possit coram auctoritate a qua fit recursus.

Canon 11

«§ 1. Si decretum latum sit ex potestate delegata, omnia, quae in can. 10 decreti auctori tribuuntur, ad delegantem referri debent.

§ 2. Quod si petitio, de qua in § 1 eius canonis, ad delegatum missa est, hic debet rem statim ad delegantem deferre; termini autem, de quibus in § 3 eiusdem canonis, ex die quo petitio ad delegatum pervenit sunt computandi».

Suggestum est ut norma can. 11 extendatur etiam ad decreta lata ex potestate vicaria.

Relator respondet id fieri non posse, quia qui potestate vicaria gaudet, agit nomine proprio.

Suggestum quoque est ut detur superiori, qui potestatem ordinariam propriam habeat, possilitas revocandi vel emendandi decretum postquam inutilis evaserit petitio facta ad Vicarium.

Consultores magis preeferunt ut petitio de qua in can. 10 § 1 semper fiat ad ipsum auctorem decreti.

Canon 12

«§ 1. In iis materiis, in quibus recursus hierarchicus suspendit decreti exsecutionem, idem efficit etiam petitio de qua in can. 10 § 1.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies, ex quo petitio de qua in can. 10 § 1 ad ipsum pervenerit, auctor ipse decreti exsecutionem suspendendam decre-

verit aut initium terminorum ad recurrendum prorogaverit, potest suspensio peti ab eius superiore hierarchico, qui earn decernere potest gravibus tantum de causis.

§ 3. Si nullus recursus neque ad superiorem hieraticum neque ad tribunal administrativum intra statutum terminum adversus decretum proponatur, vel si recursus proponatur tantum ad petendam damnorum reparationem, suspensio exsecutionis eo ipso cessat, nisi ipse decreti auctor aliter caveat ».

Nonnulli malunt ut quilibet recurrens suspendat decreti exsecutionem, vel ut in nova lege recenseantur materiae in quibus haec suspensio habeatur.

Consultores unanimiter volunt retinere § 1 prout est, quae opportune remittit ad ius vigens.

Sunt autem qui monent ut pastoralis cura salva fiat, quoties decreti exsecutio suspendatur.

Haec suggestio omnibus placet et ideo committitur Relatori ut normam redigat qua opportune caveatur de hac re.

Canon 13

«§ 1. Superior, coram quo pendet recursus hieraticus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens; tribunal autem iudicabit ad normam cann. 17 et ss.

§ 2. Recursus ad tribunal administrativum propositus potest, quandiu lis in primo iudicii gradu pendeat, ad superiorem hieraticum transferri, si omnes partes consentiant ».

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

a) A nonnullis propugnatur ut sine limite Ordinarius possit ad tribunal administrativum locale dioecesanum deferre controversias sibi delatas, et generatim ut superior hieraticus possit semper ad tribunal recursum remittere; ab aliis praefertur ut satis sit voluntas recurrentis.

Consultores has suggestiones respnuunt.

b) Sunt qui supprimere volunt possibilitatem transitus de quo in § 1.

Suffragatur placeatne haec propositio: placet n. 1; non placet n. 9; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

c) Sunt qui supprimere volunt possibilitatem transitus de quo in § 2.

Suffragatur placeatne haec propositio: placet n. 3; non placet n. 8; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

d) Rev.mus undecimus Consultor, cui accedit Relator, proponit ut Conferentiae episcopali detur facultas ita derogandi a normis can. 13, ut prohibetur transitus ab una ad alteram viam.

Haec propositio omnibus placet.

Canon 14

«Si adversus idem decretum intra terminos iure statutos propositi sint recursus et ad superiorem hierニックum et ad tribunal administrativum competens, unius superioris hierニックci est de omnibus recursibus iudicare; quod si recursus hierニックci propter sola motiva, de quibus in can. 17 § 1, propositus sit, de omnibus recursibus videbit tribunal administrativum».

De canone 14 nemo animadversiones fecit.

*2. De recursu hierニックco**Canon 15*

«§ 1. Qui se decreto gravatum esse contendit, potest intra peremptorium terminum decem dierum utilium ad superiorem hierニックum eius, qui decretum tulit, recurrere, servatis praescriptis, quae de hac re in Codice Iuris Canonici aliisque canonis legibus statuuntur.

§ 2. Etiam in casibus, in quibus recursus non suspendit ipso iure decreti exsecutionem, potest tamen gravi de causa superior iubere ut exsecutio suspenderatur, dummodo ne recursus post transactum terminum sit propositus».

Circa rubricam «de recursu hierニックco» aliqui dubium movent num locutio haec sit opportuna, quia vox «hierニックci» sapit nimiam auctoritatem.

Consultores nullam difficultatem habent mutandi rubricam, dummodo aptior locutio inveniatur. Pro nunc vero retinetur rubrica prouti est.

De canone 15 sequentes animadversiones habentur:

a) Est qui censeat etiam recursum hierニックci non esse admittendum nisi propter certa motiva a lege statuta.

Consultores praferunt ut tales limitationes, si quae fieri debent, statuantur in singulis locis Codicis, ubi de singulis materiis sermo est. Proinde servari debet § 1 prout est.

b) Terminus ad recursum hierニックci nonnullis placeret ut esset longior quam decem dierum.

Consultores, rebus perpensis, malunt servare terminum decem dierum.

c) Nonnulli suadent ut determinentur quinam sint superiores hierニックci, ad quos recursus fieri possit.

Consultores praferunt ut de hoc fiat remissio ad ius vigens, uti praebetur in § 1 huius canonis.

Canon 16

« Superior, qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, easdem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; potest itaque decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emendare, subrogare, vel ei obrogare ».

Contra hunc canonem est qui censeat non deberi superiori hierarchico aliam tribui potestatem, quam ut confirmet vel revocet decretum, quia saepe saepius superior hierarchicus non bene novit circumstantias personarum et locorum et ideo non bene potest emendare aut subrogare decretum, vel ei obrogare.

Relator proponit ut formula canonis ita recognoscatur:

« ... sed etiam rescindere, revocare, vel etiam, si id necessarium sit et ipse id congrue possit facere, emendare, subrogare vel ei obrogare ».

Propositio Relatoris omnibus placet.

*3. De recursu ad tribunal administrativum**Canon 17*

« § 1. Adversus decretum extra iudicium latum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus decididur, potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, si contendat errorem iuris adfuisse in decidendo vel violatam esse legem in procedendo, vel generalia iuris aequitatis canonicae principia non esse servata, vel motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Recursus proponendus est intra petemptorium terminum triginta dierum utilium ».

Circa hunc canonem nonnulli censem nimis incertam esse delimitationem motivorum, praeter legis violationem. Illud praesertim a nonnullis carpitur motivum de violatis generalibus iuris aequitatisque canonicae principiis.

Rev.mus primus Consultor censem difficultatem hanc non carere fundamento et exemplum affert can. 20 CIC, de quo plures interpretationes datae sunt, praesertim quod attinet ad comma « a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis ».

Rev.mus Secretarius censem motivum « de violatis generalibus iuris aequitatis canonicae principiis », quamvis nimis latum apparere possit, commodum praebere ut quis motivum recurrendi referre possit ad locorum circumstantias et ad indolem singularum regionum.

Relator censem hoc motivum deleri posse a nostro canone, stante can. 20 CIC, qui dicit, in casu lacunae legis, normam sumi posse « a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis ».

His dictis, suffragatur placeatne retinere in canone 17 § 1 verba «vel generalia iuris aequitatis canonicae principia non esse servata»: placet n. 4; non placet n. 8.

Suffragatur praeterea placeatne retinere ultima verba § 1: «vel motiva in decreto allata non esse vera». Omnibus placet.

Suffragatur insuper placeatne tribuere Conferentiis episcopalibus facultatem statuendi alia motiva recursus, praeter ea quae recensentur in can. 17: placet n. 3; non placet n. 9.

Quod attinet vero ad quaestionem de foro competenti, proponitur a quibusdam ut, post expletam proceduram can. 10, possit adiri tribunal administrativum loci in quo recursus versatur.

Consultores omnes hanc propositionem respuunt.

N.B.: In textu canonis 17 § 1 dici debet: «... si contendat errorem iuris adfuisse *in decernendo*» loco «*in decidendo*» ratione uniformitatis cum responsione nuper data a Pontifica Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis.

Adunatio VI^a
die 7 februarii 1973 vespere habita

Canon 18

«§ 1. Si decretum, quod sit illegitimum ad normam can. 17 § 1, ius aliquius laeserit, laesus potest ad tribunal administrativum recurrere ad damnorum reparationem petendam.

§ 2. Ad recursum hunc proponendum lex particularis, de qua in can. 3, statuit terminum utilem non tamen ultra annum, qui decurrat ex die quo damnum factum est; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum petitio de damnis reparandis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam cann. 15 et 16, de damnis tamen, si forte debeantur, auctor primi decreti, vi muneric sui, respondet; superior autem, qui decretum ad normam eorum canonum mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione damna obvenerint».

Circa canonem 18 sequentes animadversiones habentur:

a) Quidam censem reparationem damnorum non esse limitandam ad casum laisionis iuris subiectivi.

Consultores hanc suggestionem respuunt, quia non videtur quomodo dari possit actio ad reparationem damnorum nisi adsit laesio iuris subiectivi.

b) Nonnulli petunt ut statuatur utrum de damnis respondeat officium anterior qui decretum dedit.

Relator et Consultores unanimiter censem non pertinere ad hanc legem talem materiam moderari; ceterum, ex verbis § 3 «vi munieris sui» patere obligationem directam esse officii, superiorem autem eiusque heredes possentum ex regressu obligari.

Proponitur ut ad petitionem de damnis proponendam idem sit terminus, qui statuitur pro ceteris recursibus ad tribunalia administrativa.

Haec propositio non placet Consultoribus.

4. De tribunalium administrativorum constitutione

Canon 19

«Unaquaeque Conferentia episcopalis tribunal administrativum primi gradus stabiliter constituat, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata».

Optant quidam ut definiatur quaenam sint inferiores auctoritates; praesertim autem dubitatio locum habere videtur, quoties agitur de consociationibus, quae non sint religiones vel instituta perfectionis.

Consultores censem tales definitiones pertinere ad doctrinam et ad iurisprudentiam.

Canon 20

«§ 1. Conferentia episcopalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere.

§ 2. Quod si fecerit:

a) adversus sententiam primi gradus appellari potest vel ad hoc tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen alias ad aliud tribunal appelleret, de appellatione videt Signatura Apostolica, nisi haec aliter decernat;

b) adversus duplarem sententiam conformem non datur appellatio ad Signaturam Apostolicam».

Nonnullis non placet ut, si adsit tribunal locale secundi gradus, appellatio adversus sententiam primi gradus possit ad Signaturam Apostolicam deferri; nonnullis autem placeret ut semper constituatur tribunal locale secundi gradus et ut Signatura Apostolica videat solum in tertio gradu.

Consultores has suggestiones respuentes, malunt ut can. 20 maneat prout est.

Canon 21

«Signatura Apostolica videt:

- a) in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a Conferentiis episcopalibus earumque organis, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis Dicasteriis, et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis;
- b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latas a tribunalibus, de quibus in cann. 19 et 20».

Nonnullis non placet quod decreta Conferentiae episcopalis habeantur maioris auctoritatis quam decreta singulorum Episcoporum, eo vel magis quod haec saepe fiant ex ipsius Conferentiae suggestione. Ideo proponitur ut recursus adversus decreta a Conferentia episcopali eiusque organis lata videantur a tribunali administrativo locali Conferentiae episcopalis.

Cardinalis Praeses notat sub hac suggestione latere vexatam quaestionem de iuribus et officiis Conferentiae episcopalis erga singulos Episcopos; quae tamen quaestio non potest dirimi in hac sede.

Consultores censem recursus contra decreta lata a Conferentia episcopalii videndos esse a Signatura Apostolica; *potest tamen admitti, si Conferentia ita censeat, ut tribunal administrativum locale Conferentiae episcopalis videat de recursibus adversus decreta lata ab organis Conferentiae episcopalis.*

Dubium praeterea movetur de perspicuitate commatis «... et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis».

Relator, consentientibus Consultoribus, proponit ut comma ita redigatur: «... et generatim a qualibet auctoritate ecclesiastica infra Romanum Pontificem, praeter casum de quo in can. 19, vel ab eorum delegatis».

Canon 22

«§ 1. Tribunal administrativum primi gradus iudicat per collegia trium iudicum; tribunal secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum.

§ 2. Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, Conferentia episcopalis potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicem unicum deferantur; quod si qua pars renuat, iudicium ex officio deferatur in primo gradu ad tribunal administrativum immediate superiorius.

§ 3. Tribunal potest semper iubere ut in iudicium interveniat promotor iustitiae, si id utile censeat ad bonum publicum tutandum.

§ 4. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto

ferendo vel in recursibus proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint, neque ad eam dioecesim pertineant in qua decretum latum est; necessitate suadente potest unus ex tribunalis collegialis iudicibus esse idoneus diaconus, vel etiam laicus, nisi iudicandum sit de recursu adversus decretum ab Episcopo latum».

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

a) Compluribus magis placet ut promotor iustitiae semper his processibus adsit.

Suffragatur placeatne haec propositio: placet n. 10; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

b) De numero iudicum plures factae sunt propositiones in variam rationem: nonnulli propugnant ut in primo gradu tribunal sit semper unius iudicis; alii contra censem numquam esse admittendum tribunal unius iudicis.

Consultores malunt ut normae de numero iudicum maneant prout sunt in can. 22.

c) Cum Episcopus constituere possit tribunal administrativum dioecesanum pro acibus ab inferioribus auctoritatibus latis, ratio haberi debet de hoc quoque tribunali in § 2 et ideo declarari debet quodnam sit «*tribunal administrativum immediate superiorius*», quando pars iudicem unicum renuat in illo tribunali dioecesano.

Consultores concordant ut in hoc casu iudicium ex officio deferatur in primo gradu ad tribunal administrativum Conferentiae episcopalnis.

d) De diaconis vel laicis admittendis haec animadversa sunt:

– ut admittatur etiam collegium quod constet ex sacerdote et duobus diaconis vel laicis, vel ex iudice unico sacerdote cum duobus assessoribus laicis;

– ut non debeat haberi necessitas, sed in quolibet casu possit iudex laicus nominari;

– ut admittatur diaconus et laicus etiam ubi debeat iudicari de decreto ab Episcopo lato;

– ut mulier quoque possit esse iudex;

– ut numquam diaconus vel laicus possit esse iudex.

Sunt etiam quibus placet ut unus saltem e iudicibus debeat esse Episcopus, vel etiam ut omnes iudices sint Episcopi si debeat iudicari de decreto ab Episcopo lato.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut tota quaestio de diaconis vel laicis admittendis ad munus iudicum committatur Conferentiis episcopalibus ut statuere possint secundum opportunitatem locorum.

Suffragatur placeatne servare textum canonis prout est circa hanc quae-questionem: placet n. 5; non placet n. 8.

Suffragatur placeatne alterum comma § 4 ita mutare: «lege particulari ita statuente possunt ex iusta causa unus vel duo ex tribunalis collegialis iudicibus esse idonei diaconi, vel etiam laici, nisi iudicandum sit de recursu adversus decre-tum ab Episcopo latum»: placet n. 8; non placet n. 4; placet iuxta modum n. 1.

Modus: dicatur «... vel etiam viros laicos»: placet 7; non placet n. 6.

e) Exclusio absoluta iudicis ad eam dioecesim pertinentem in qua decre-tum latum est a quibusdam reprobatur, sive quod difficile interdum esse potest iudices invenire sive quod iudex eiusdem dioecesis melius adjuncta cognoscit, sive quod non debet suspicio de defectu independentiae eo ipso haberri. Sunt qui proponant ut saltem ei normae possit derogari si partes con-sentiant.

Suffragatur placeatne hoc vetitum servare: placet n. 7; non placet n. 6.

Relator tamen animadvertisit hoc vetitum valere pro tribunalibus admini-strativis Conferentiae episcopalium, non autem pro tribunalibus dioecesanis quae forte instituantur.

5. De ratione procedendi apud tribunalia administrativa

Canon 23

«§ 1. Si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, auditio saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu exe-cutio decreti suspensa maneat.

§ 2. Quoties autem lex statuit ex recursu hierarchico suspendi ipso iure decreti exsecutionem, idem efficitur etiam ex recursu ad tribunal administrativum».

Est qui propugnet ut, nisi gravis causa contrarium suadeat, suspensio exse-cutionis semper decernatur.

Haec propositio Consultoribus non placet.

Canon 24

«Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iique omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent, et eadem iura habent, quae pars conventa in ordinariis iudiciis».

Nonnullis non placet aequiparatio superioris aliorumque ad reum con-ventum.

Consultoribus autem placet retinere canonem prout iacet, mutatis tan-tum verbis «vocari in ius debent» loco verborum «citari debent».

Canon 25

«§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere (CIC Lib. IV, pars I, sect. I), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; item servanda sunt praescripta legum particularium, quae secundum hanc legem latae sint.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

§ 3. Normae Codicis Iuris Canonici de contumacia et de restitutione in integrum propter neglectum legis praescriptum applicari nequeunt in iudiciis coram tribunalibus administrativis».

Nonnullis placeret ut normae de procedura summaria hic ferantur.

Haec propositio placet Em.mo Praesidi, eo vel magis quod iam Coetus «De processibus» normas iam apparavit de processu contentioso summario.

Omnes Consultores concordant cum Praeside et ideo committitur Relatori ut normas illius schematis de processu contentioso summario aptet ad hanc novam legem de procedura administrativa.

Canon 26

«§ 1. Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 17 § 1 iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare.

§ 2. Si petitio de damnis reparandis proposita sit ad normam can. 18, tribunal debet de damnis statuere; quod si nullus propositus sit recursus ad normam can. 17 §§ 1 et 2, tribunal potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimitate videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam».

De canone 26 nulla animadversio habetur.